



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Benedicti XIV. ab initio Pontificatus usque ad
Annum 1746

Luxemburgi, 1752

Schedula Motus Proprii, de qua sit mentio in Constitutione. 18. Martii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74696](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74696)

Sanctio generalis.

Dat. die 16. Febr. 1745.

pari derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. II. Nulli ergo Hominum liceat paginam hanc Nostrarum Constitutionis, Ordinationis, voluntatis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadagesimo quinto, quarto-decimo Kalendas Martii, Pontificatus Nostri Anno Quinto.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

VISA DE CURIA.

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Schedula Motus proprii, de qua fit mentio in Constitutione.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Motu proprio &c.

OMNIBUS & singulis Officialibus Romanæ Curie, qui alias juxta antiquum ejusdem Curie morem, & ritum, in generali Pontificia Processione Sanctissimi Corporis CHRISTI cum albis intortitiis, Apostolica Sede plena, interesse solent ac debent, quoties Processionis celebritatem hujusmodi, tempore prædictæ Sedis Vacantis, occurrere contigerit, quemadmodum illius tunc peragendæ formam Apostolicis nostris Literis hac ipsa die sub Plumbo datis in perpetuum præscripsimus, ita præsentis nostri Motus proprii &c. Scheda districtè præcipiendo mandamus, ut ipsi pro eorum debito & condigna erga tantum Sacramentum veneratione, celerique & tranquilla actus hujusmodi expeditione, sub pœna privationis a perceptione emolumentorum ratione suorum respectivè Officiorum per duos continuos menses ex tunc proximè futuros eis obvenientium, aliisque arbitrio tunc existentium S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, quibus dictarum Literarum nostrarum executionem injunximus, in contrafacientes infligendis, in eadem Processione ordine infra assignando, absque ulla contradictione aut replicatione, vel interpellatione incedere debeant. Nos etenim eisdem Officialibus, atque omnibus & singulis eorum Ordinibus, ac Collegiis quibuslibet, super quæstionibus & controversiis quoad procedendi Ordinem, silentium imponimus, donec aliter a Nobis aut Successoribus nostris Romanis Pontificibus, vel competentibus Judicibus, definitum fuerit in Judicio petitorio, quod eis earumdem tenore præsentium reservamus.

Officiales autem Camera, Cancellariæ, & Pœnitentiariæ Apostolicarum, quibus consuetum in eadem Processione locum præservamus, volumus eodem incedere Ordine, quo descripti reperuntur in Rotulo a Nobis sub initio, & quolibet Pontificatus Nostri anno subscribi solito, seu in aliis Rotulis a Romanis Pontificibus Successoribus nostris pro tempore subscribendis: Quorum Rotulorum seriem, & ordinem, ne vacante Apostolica Sede prædicta, de eorum vigore, & subsistentia hæsitari contingat, ad præmissorum effectum tantum, ex nunc, prout ex tunc, & è contra confirmamus, & approbamus; Ac, quandocumque casus obvenit, hujusmodi

Ordinem seu seriem Rotuli ultimo loco a Romano Pontifice tunc proximè defuncto subscripti, illiusque integram tenorem, ante ipsum Processionis prædictæ initium per unum ex Pontificiis Curforibus de more legi, & recitari præcipimus. Quo verò ad alias Personas, de quibus in dictis Literis meminimus, eorum nomina, Officia, & incedendi Ordinem, ut infra, præscribimus, videlicet:

Præcedentibus Alumnis Hospitii Apostolici, & Orphanotrophii; tum Ordinibus Regularium, Parochis Ecclesiarum Urbis cum Stolis, Clero, atque Capitulis Ecclesiarum etiam Collegiatarum Insignium, & Basilicarum etiam Patriarchalium, ordine suo.

Officiales Cancellariæ Apostolicæ, necnon Camera, Pœnitentiariæ, alique in consueto Rotulo descripti, juxta Ordinem ibi adnotatum. Cantores Papæ.

Gubernator Conclavis } Simul.
Gubernator Urbis }

Ambo cum Rocchetto & Mantelletta nigra, & cum intortitiis, quæ ab aliquo ex ipsorum Familiaribus Nobilibus deferri poterunt.

Duo Acolythi cum Funalibus argenteis.

Duo alii Acolythi cum Candelabris.

Acolythus cum Navicula.

Acolythi duo cum duobus thuribulis.

Duodecim ex Officialibus virgæ rubæ cum intortitiis a lateribus.

Servientes Armorum a lateribus.

Item a lateribus Milites Helvetici cum suis Tribunis.

Antistes deferens Sanctissimum Sacramentum cum Diacono & Subdiacono sub Baldacchino. Duo alii Acolythi cum Funalibus argenteis. Minister de Mitra.

Auditor Camera } Simul.
Thesaurarius Generalis }

Patriarchæ.

Archiepiscopi.

Episcopi,

juxta eorum gradum, & respectivam antianitatem, nulla ratione habita assistentiæ Solio Papæ.

Prothonotarii Apostolici Participantes tam de numero, quam supra numerum, alique in eorum Scamno locum habentes.

Abbatibus habentes locum in Cappella.

Generales Ordinum habentes locum, ut supra.

Auditores Rotæ, cum Magistro Sacri Palatii.

Clerici Camera, ejusdemque Præses.

Referendarii Volantes Signaturæ Justitiæ, cum ejusdem Auditore.

Abbreviatores de Parco majori.

Advocati Confistoriales, cum Procuratore Fiscali, & Commissario Camera.

Procuratores Ordinum.

Referendarii Baldacchinum deferent ab Altari Cathedræ S. Petri usque ad Portam Basilicæ.

Officiales Collegii S. Petri a Porta Basilicæ usque ad Catenam Palatii.

Magistri Viarum, alique ejusdem Officii Ministri, a Catena ad finem Peristylii.

Officiales Collegii S. Pauli ab una ad alteram extremitatem Peristylii.

Natio Florentinorum per aliud Brachium Peristylii usque ad Portam Ferream.

Natio Senensium a Porta Ferrea usque ad Altare Confessionis S. Petri.

Servientes Armorum, & Cursores Cardinalis Vicarii cum suis Mazis totam Processionem custodiant, & hortentur ad procedendum, & non permittant sub finem aliquos exire cum intortitiis, nec ea extinguere, nisi data per Antistitem Benedictione super Populum cum Sanctissimo Sacramento.

Militum Urbanorum turmæ Processionem

sequantur

sequantur atque custodiant, & fiant solite mortuorum explosiones in consuetis locis.

Quocirca Gubernatori Conclavis, & Gubernatori Urbis, ejusdemque Urbis Vicegerenti tunc & pro tempore existentibus, per easdem presentes committimus & mandamus, ut in consuetis respective locis adstantes, necnon alii Cereemoniarum Apostolicarum Magistris Supranumerum, qui etiam tunc & pro tempore extra Conclave existent, ut, pro eorum Officii debito, presentis Mandati nostri schedulam, & in eis contenta quaecumque, singuli pro virili parte exequi & observari faciant: Notariis quoque Camerae Apostolicae, ut praedictis Conclavis & Urbis Gubernatori, ac Vicegerenti assistant, describentes nomina singulorum contumacium & inobedientium, quos praemissis, & gravioribus etiam pro excessuum qualitate poenis puniri & multari volumus. Praesentes quoque, & desuper si videbitur expediendas Litteras, semper validas, & efficaces fore & esse, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, ad quos quomodolibet spectat, & spectabit in futurum, inviolabiliter observari; sicque & non alias per quoscumque Judices &c. etiam praedictae S. R. E. Cardinales, sublata &c. judicari &c. debere, irritumque &c. attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra & Cancellariae praedictae Regula de jure quæsito non tollendo, & privilegiis, ac indultis, & Litteris Apostolicis, Collegiis praedictis, eorumque singularibus Personis, etiam in limine eorumdem Collegiorum erectionis, concessis, ceterisque Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac praedictorum Collegiorum etiam juramento &c. roboratis statutis &c. ceterisque contrariis quibuscumque; cum clausulis opportunis.

Fiat motu proprio P.

ET quod dictae Regulae, necnon Privilegiarum, & Indultorum praedictorum quomodolibet concessorum tenores etiam veriores, ac Datae, habeantur pro expressis, seu in toto, vel parte exprimi possint in Litteris etiam per viam de Curia, si videbitur, expedien. Et de perpetuis mandato, commissione, derogatione, voluntate, aliisque praemissis, ut supra in dictis Litteris latissime extenden. Volumus autem, quod sola praesentis nostri Motus proprii Schedules Signatura sufficiat, & illius quoque exempla, seu transumpta, etiam impressa, manu alicujus Notarii publici subscripta, & personae in Ecclesiastica dignitate constitutae Sigillo munita, ubique fidem faciant in iudicio, & extra illud: Regula quaecumque contraria non obstant.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem quartodecimo Kalendas Martii Anno Quinto.
Publicata die 18. Martii ejusdem anni.

CXXIII.

Jubilaeum pro Italia, & Insulis adiacen. concessum, extenditur ad Regnum Galliae.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Universis Christifidelibus presentes Litteras inspecturis, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

CUM multorum charitate refrigerante ita saepe malitia hominum abundat, ut in da-

rissima nos incidentes tempora, maximis laboribus periculis; omnia utriusque legis instituta, Prophetarum, & Apostolorum exemplis firmata, satis superque testantur, unum nobis, idque tutissimum paratum esse periculum in precibus, & jejniis, quibus Dei misericordiam delectare atque implorare satagimus. Hinc est, quod Italiae populis ejusque Insulis adjacentibus tot calamitatibus divexatis hoc praesens Jubilaeum indiximus, & ad magnam Divini auxilii spem omnes ereximus.

§. 1. BENEDICTUS PP. XIV. In Suprema Catholica Ecclesia administratione &c. ut supra Pag. 254.

§. 2. Hos ergo Divinae misericordiae uberimos fontes in Gallia quoque Regnum, ejusque Provincias, nobis cura est derivare, ob id precipue, ut ibi ab omnibus, qui harum caelestium largitionum participes fieri volunt, praeter onera a Nobis praescripta, gratiae omnino habeantur quam maxima Omnipotenti Deo, cujus unius beneficio Carissimus Noster in Christo Filius Ludovicus Rex Christianissimus a gravissimo & deplorato morbo nuper convaleuit. Omnes igitur Galliarum coetus pro Principis salute & imperii diuturnitate vota nuncupaturi, toti sese in preces effundant, ut, qui solus est dominantium Dominus, dies super dies Regis adjiciat, & cor ejus in manu tenens, faciat, ut ambulans in praecipitis ejus, semper speret in Domino, & in misericordia Altissimi non commoveatur.

§. 3. Ut autem praesentes Nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut earumdem praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die XVIII. Februarii MDCCXLV. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

D. Cardinalis Passioneus.

Fiat P.

De Jubilaei Concessione pro Regno Galliae; a cujus Indulgentiae beneficio excluduntur Refractarii.

Carissimo in Christo Filio Nostro Ludovico Galliarum Regi Christianissimo.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Carissime in Christo Fili Noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

NULLIS verbis explicare satis possumus voluptatem singularem, quam Nobis attulerunt litterae Majestatis tuae die 24. Januarii ad Nos scriptae, ex quibus consilia deprehendimus ad pacem Europae conciliandam aptissima, quam Nos quidem unice atque ardentissime exoptamus: Itaque Majestati tuae gratias agimus maximas, simulque adjungimus, id Nobis inusitatum, aut novum minime contingere: Quippe regalem indolem, animique tui praeciaros sensus jampridem cognitos habemus, ex quibus etiam facile coniecimus, Dei beneficio Majestatem tuam ex gravissimo morbo relevatam fuisse, & prospera nunc uti valetudine, ut tanquam Angelus pacis dissidia componeret, ac populis redderet tranquillitatem.

§. 1. Illud

Extensio Jubilaei ad Galliae Regnum, adjectio onere orandi pro Rege.

Auctoritas Transumptis tributa.

Dat. die 18. Febr. 1744.

CXXIV.

Pontifex consilia pacis in Rege laudat & fovet.